DE LAESIONIBUS ORGANICIS A PHLOGOSI IN VARIIS TEXTIBUS INDUCTIS...

Giuseppe Rossi

DE

LAESIONIBUS ORGANICIS

A PHLOGOSI

IN VARIIS TEXTIBUS INDUCTIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

JOSEPH ROSSI

TARVISINI

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXLIII

Qu'est que vous esperez de moi?
Pascal.

Inter laesiones organicas a phlogosi productaa aliae (*a*) communas sunt et in quocumque textu reperiri possunt; aliae e contra (*b*) propriae sunt quibusdam textibus.

a) Quum attente observamus partem ubi phlogosis formari incipit, eam injectam at rubram conspicimus, hinc tumor adparat; intensior deinde fit injectio, et magis magisque rubescit. Omnia haec phaenomena cum illis hyperhaemiae activae confundi possunt. Sed quum vera inflammatio existat, laesiones anatomicae eam adesse declarant, nam turbatur partis adfectae nutritio (*). Via quae huic functioni praeest et quae plasticitas nuncupatur, manifeste pervertitur; quamob-

(*) Mekel vocavit inflammationem illum statum morbosum ad formationem novarum partium tendentem; et Burdach dixit phlogosim agnosci a turbata directione activitatis plasticae. Andral quoque aliique ita opinantur.

rem partis adfectae consistentia vario modo mutatur. Quum inflammatio acuta sit, tunc imminutio in cohaesione molecularum plurimum notatur (emollitio); quum vero chronica sit, tunc plerumque status oppositus occurrit (induratio). Emollitio vero et induratio varios habent gradus juxta diversitatem organi adfecti et juxta morbi intensitatem. Sed pulmo inflammatus spissior videtur, substantiam hepatis similem referens? Hoc verum; sed friabilis valdopere est; nam si digito prematur, cedit et perfacile rumpitur; qua de re status hic pulmonis hepatisatio rubra a Laennec vocata, ab Andral emollitio rubra appellatur.

Aliquando vero ita partis inflammatae turbatur nutritio, ut moleculae quaedam absorbeantur, quin novae illis succedant; haec amissio sub nomine atrophiae venit.

Phlogosis ad maximam intensitatem provecta in gangraenam ruere potest; sed hoc plerumque a statu generali organismi, influxibus atmosphaericis aliisque circumstantiis dependet.

Alterationibus supradictis adjungi debent etiam illae, quae ad secretionem pertinent. Generatim loquendo sub acuta et forti inflammatione, secretio imminuitur, vel penitus supprimitur; in ipsius autem decremento adaugeri solet et simul plerumque perverti. Humor secretus nunc est inorganisabilis, qui comparari nequit cum ullo

elemento corporis humani, et pus vel ichor vocatur, qui secretionis processus plus minuave mutatus exulcerationis fundamentum sistit; nunc est materies consistens concrescibilis; nunc substantia quaedam vita praedita, quam praecipue reperimus organisatam in membranis serosis. Substantia haec ab Hunter appellata fuit lympha coagulabilis, a recentioribus vero textus cicatricans pseudo-membranae.

Alia quoque producere potest inflammationis processus, uti scirrhum, encephaloidem, tubercula et maximam partem transformationum, sed haec non sunt nisi accidentalia. Horum enim formatio ut locum habeat, status localis sociari debet cum peculiari conditione totius organismi. Ex dictis ergo fluit, characteres anatomicos generales phlogoseos ad sequentes reduci: fluxum sanguinis in partem adfectam, ejus nutritionem turbatam, emollitionem, indurationem, exulcerationem, gangraenam, atrophiam, secretionem perversam, puris formationem, nec non materiei concrescibilis et materiei plasticae organisabilis.

Nunc ad characteres anatomicos cuidam textui proprios transeundum.

b) Textus cellularis vastam constituit tramam, in qua totus organismus evolvitur et crescit. Est in hujusce textus filamentis ubi praecipua phlo-

goseos phaenomena oriuntur, ergo dici potest istius processus matricem esse. Haec phlogosis phlegmon nuncupatur, et ut typus hujus processus considerari potest. Ejus exitus ordinarius est suppuratio. Sicuti omnes partes organismi, sic et cellularis textus sub inflammatione, sanguine imbuitur, expansibilitatem amittit, et friabilis fit, et humor physiologicus in serositatem opalinam convertitur, in qua grisei natant flocculi. Paulo post liquor inspissatur, novas proprietates refert, et pus est. A principio infiltratum invenitur in textu illud producente; deinde cavum sibi efformat, quod focus pyogeneticus vocatur (abscessus). Quum pus in cavo hocce per aliquod tempus moretur, membrana secernens formatur, quae parietes cavitatis obvestit. Sed eodem tempore processus quidam incipit qui pus expellere nititur, et haec est inflammatio ulcerativa Hunter. Pus dirigitur vel ad cutem vel ad membranas mucosas; et mirum est quam longam viam interdum percurrat: uti, exempli gratia, observatur in lumborum abscessibus. Pure expulso, novus processus locum habet, et cicatrisatio incipit; leges vero, quas eam dirigunt, mirabiles sunt.

Textus vascularis. Systema sanguiferum.

Cautos nos reddere debet observatio circa inflammationem vasorum, nam existentia rubri coloris in eorum membrana interna ad declaran-

dam phlogosim non sufficit. Scimus enim, ruborem uniformem, aequabilem effectum esse plerumque legum physicarum, endosmoseos nempe, vel exosmoseos; et colorationem e contra ab inflammatione dependentem vel restrictam essequibusdam punctis, vel tinctam uniformem non offerre, ac lavationi resistere. Sed praecipue in textu cellulari supposito phlogosis evolvitur, et ibi injectio reperitur. Nihilominus membrana vascularis emollitur, alterationes secretionis subit, nunc pus, nunc lympham coagulabilem subministrans. Sanguis quoque in sua crasi mutatur et propter vasorum functionem necessario laesam, et propter novas secretiones, quae sanguini miscentur. Tunc sanguis plerumque facilius coagulatur. Et revera nonne invenitur interdum in aliquo tractu arteriae inflammatae sanguis ipse coagulatus, qui circulationem eo turbare valet, ut gangraenam gignat? Et quid etiam de polypis dicemus? Lithiasis potest ne a phlogosi produci?

Venas observatum fuit facilius arteriis et corde phlogosi affici. Possunt venae incrassari, restringi, et texturam arteriosam ita simulare, ut eas scindendo sensatio eadem habeatur ac si arteria scinderetur. Plurimum vero dilatantur et exiliores fiunt earum parietes, colorem atrum rubrum offerunt, et pus facile secernunt.

Quod de membrana interna vasorum dictum

fuit, sic de endocardio. Angustationem manifestam ostiorum cordis inter breve tempus producit endocarditis acuta, nec non parvas granulationes, quibus sanguis coagulatus adhaerere potest: in chronica vero endocardium inspissatur, et largis maculis opacis praesertim in valvulis obtegitur. Raro pus invenitur. Cor inflammatur etiam in sua substantia; tunc pus gigni potest quod sub endocardio, vel inter fibras musculares reperitur, quae ita emolliuntur, ut sub digiti pressione cedant et lacerentur. Aliquando observatur carditis sic dicta exulcerativa, quae et cor ipsum perforare potest. Inter exitus, qui sensim sensimque fiunt, hypertrophia recensenda venit. Et reapse quum in carditide orificis angustentur, oportet ut validius contrahatur cor ad sanguinem expellendum, et tunc propter leges physiologicas nutritio alacrior evadit. Sic et ventriculus in angustatione pylori hypertrophicus fit, et sic in vesica orinaris observatur quando plus minusve urinae emissio praepeditur.

In vasis lymphaticis raro reperitur phlogosis, nisi post causam traumaticam. Pus aliquando ferunt haec vasa, sed secretum ne fuit ab illis, vel vero ab aliquo organo inflammato absorptum? Sustinuit Broussais degenerationes tuberculosas, cancerosas aliaque istiusmodi producta a systemate lymphatico phlogosi correpto gigni. Sed

uti exaggerata a plerisque haec propositio considerata fuit, ab aliis falsa; a paucis vero, detractis detrahendis, admittenda.

Ganglia lymphatica frequentius inflammantur, sed saepe eorum phlogosis a morbo organi propinqui dependet. Scimus enim qua facilitate in adfectionibus phlogisticis pulmonum ganglia bronchialia, in illis abdominis ganglia mesenterii inflammatione corripiantur. Eorum volumen tum adaugetur, colorem rubro-fuscum sumunt, emolliuntur, spongiosa fiunt, et aliquando splenis substantiam simulant, saepe autem in suppurationem ruunt. Phlogosis gangliorum lymphaticorum characterem sumit morbi, cujus est consequentia. In tuberculosi laborantibus ganglia bronchialia inflammata tuberculosa fiunt. Ita prope uterum a cancro detentum ganglia inveniuntur, quae post inflammationem, cancerosam degenerationem offerunt.

Nervorum systema. Adparatus centralis nerveus rarius inflammatur. Ad hanc quaestionem dilucidandam studere oportet phlogosim harum partium traumaticam, illam scilicet cujus existentiam et naturam nemo nec in dubium revocare poterit, et de cujus exitu dijudicare possumus. Examinanda ergo veniunt phaenomena et alterationes, quas producere valet corpus externum in encephalo existens. Partes propinquae tum me-

nifeste rubro colore suffunduntur; dein emolliuntur, et sero etiam suppurationem dant. Sed ex istis tribus alterationibus puris tantum praesentia est signum certum praegressae phlogoseos. Nam sanguinis suffusio ab aliis causis pendere potest, uti a genere mortis, e positione cadaveris, et etiam e vario modo sectionem cerebri instituendi; emollitio quoque, quin phlogosis evoluta sit, reperiri potest, uti in senibus et in sanguinis aliorumve humorum alteratione contingere potest. Puris efformatio ejusque collectio in cavo aliquo, aliquando lente, et alias rapide evenit; cavum vero, uti in aliis partibus, membrana obvestitur pyogenetica. Ex his abscessibus alii sunt spontanei, alii ex traumatica causa; hi ultimi vero frequentiores occurrunt. In phlogosi chronica centrorum nerveorum pars adfecta emolliri potest, sed plerumque induratur, et diversimode coloratur, rubrum nempe, vel nigrescentem referens colorem.

Nervi quum inflammentur, injectio locum habet potius in textu cellulari fibrillas nerveas uniente, quam in fibrillis ipsis. Tum substantia nervea emollitur, ejusque secretio modificatur. Nervus phlogosi detentus serositatem opalinam producit et etiam pus. Nervorum inflammatio plerumque evenit sub influxu causae traumaticae.

De systemate gangliari quid dicendum? Nihil

obscurius ejus phlogosi. Parum juvant dissectiones Delpech, qui colicae saturninae causam proximam hujus systematis phlogosim putabat.

Textus mucosus frequentissime est sedes phlogoseos. Ex textu proprie dicto mucoso, ex folliculis et villis compositum eum considerabimus. Phlogosis singillatim et simul quoque haec tria elementa invadere potest. Membrana mucosa inflammata colorem sumit rubrum, qui intensior aliquando fit, et tum dicitur quod sit atra et etiam nigra: eodem tempore transparentiam quoque amittit; sed rubedo et opacitas non sufficiunt ad phlogosim declarandam. Si coloratio restringatur ad quaedam puncta, inter quae membrana mucosa in statu normali sit, et sic textus cellularis subjectus, de hyperbaemis activa potius quam de phlogosi agitur. Minus vero dubitandum de praesentia inflammationis si injectio in summitate villorum extiterit. Hi villi in extremitate sua libera aliquoties colorationem offerunt nigram, uti in quibusdam diuturnis diarrhoeis observatum fuit. Injectio aliquando folliculos tantum aggreditur, et propter hoc factum pathologicum demonstrari potuit eorum existentia in superficie membranarum mucosarum, quum in statu physiologico fere nunquam adpareant; sic et in ventriculi inflammatione ejus membrana mucosa quam plurimis granulationibus tegitur.

Accumulatio sanguinis in mucosis inflammatis una cum eorum alterata nutritione spissitudinem adauget, quae si phlogosis acuta sit, simul cum morbo disparet; si vero chronica per aliquod tempus perdurat, etiam inflammatione devicta. Haec crassities aliquando magni momenti est, et propter hanc dyspnoea explicatur bronchitidi succedens, et vomitus qui gastritidi superest. Membrana mucosa phlogosi correpta suam consistentiam amittit: sed quaeritur an haec emollitio certum sit criterium pro statuenda phlogosi? Difficilis solutio.

Ulcera sunt exitus sat frequentes inflammationis mucosae membranae. Ex hisce alia in extenso, alia in profundo adaugeri tendunt. Aliquando crustis gangraenosis succedunt, sed raro; alias a phlogosi producuntur quin gangraena eveniat. Ipsum textum mucosum possunt primitus aggredi, vel textum cellulosum suppositum, et dein ad mucosum propagari. Producta quoque accidentalia sub membranis mucosis evolvuntur, quae eas possunt perforare, et sic ulcera gigni, uti, exempli gratia, tubercula bronchiorum, quae sedem habent in textu cellulari, perterebrant membranam mucosam canales aereos investientem, et sic hydatides hepatis peritonaeum exulcerant, et etiam tubum intestinalem, aliquando diaphragma et ipsum pulmonum parenchyma. Natura intima

exulcerationum membranae mucosae multum variare potest; nam praeter inflammatoria, specificae quoque indolis dantur ulcera, inter quae in primis: (*a*) syphilitica, quae vel sunt primitiva, et occupant membranam mucosam glandis, vaginae etc., vel sunt consecutiva, et tunc in laryngia, oris pharyngisque mucosa inveniuntur: ulcera haec irregularia sunt, cum marginibus callosis et fundo spurco atque partes propinquas praecipue in profundo corrodentia; (*b*) ulcera a *morva* acuta inducta; (*c*) cancerosa; (*d*) scrofulosa; (*e*) scabiosa; (*f*) ulcera, juxta quorumdam sententiam, febris typhoideae, at quae in canali alimentari phthisicorum inveniuntur.

Alius exitus phlogoseos membranae mucosae est terribilis gangraena, quae vel propter morbi maximam intensitatem, vel propter alias circumstantias tum internas, tum externas contingere potest.

Phlogosis membranae mucosae summum exerit imperium in ejus secretionem. A principio muci secretio imminuta est, vel suppressa, sero autem mucus adparet copiosior quam in statu normali, et saepe saepius qualitate mutatus. Devicta phlogosi et fluxus morbosus cessat. Sed quid dicendum de fluxibus mucosis chronicis, qui omni vestigio inflammationis destituti videntur, et per menses et annos durant? Phlogosis etiam-

si minima adesse debet, nam effectum sine causa concipere non valemus. Aliquoties mucus sub phlogoseos influxu secretus minus viscidus quam normalis est, et majorem quantitatem aquae continet; analogus est sero, et hunc saepe conspicimus in quibusdam enteritibus. Alias mucus puris adspectum sumit, et est humor qui muco-pus appellatur, vel fluxus puriformis. Alias autem merum pus phlogosis membranarum mucosarum gignit. Difficile est distinguere istud ab illo, sed hoc juxta Gendrin parum interest, namque demonstratum est quod pus gigni potest etiam per secretionem, quin membrana exulcerata sit, sed tantum emollita. Materies plastica, albescens, plus minusve spissa a mucosa inflammata secerni potest. Haec materies nunc restrictam partem, nunc vastam occupat superficiem pseudo-membranarum ad instar. Quae frequentius hanc materiem producit est membrana nasi, oris, palati, pharyngis laryngisque. Pseudo-membranae organisatae quoque formari possunt, uti in infantibus praesertim observatur.

Sanguis quoque a mucosis inflammatis secernitur, vel ut melius dicam, exhalatur. Haemorrhagia a phlogosi pendere potest, quae a parietibus vasorum exsudare sanguinem facit, vel a perforatione vasis alicujus in cavo ulceroso, et hic est modus haemorrhagiae frequentior.

Pustulis et vesiculis tum et quando teguntur membranae mucosae. Vesiculae in cavo oris praecipue observantur, pustulae vero in pharynge, intestino crasso et in viis respiratoriis; quae eruptio in variolis manifestatur.

Phlogosis, et praecipue chronica membranae mucosae, ad textus suppositos facile irradiatur; sic in gastritide acuta mucosam tantum adfectam invenimus; in chronica e contra laesiones aliarum tunicarum constantiores sunt, tunica nempe cellularis incrassatur ac induratur, et muscularis hypertrophica fit: ita chronica laryngis et tracheae phlogosis phosphatis calcis depositioni inter cartilagines haec organa componentes favet.

Textus cutaneus. Recensitae fueruut inter inflammationes cutis adfectiones, quae nil aliud sunt nisi hyperhaemia, uti erythema, morbilli, scarlatina, rubeola. In his morbis non invenitur character distinctivus inflammationis, nempe tendentia ad nova producta formanda. Omnes acutae cutis phlogoses eumdem processum constantem servant, sed sub formis toto caelo diversis, quae a natura peculiari earum causae pendent, et etiam a diversa dispositione anatomica partis in qua morbus evolvitur; scimus enim cutem esse multorum organorum complexum.

Cutis propter causas externas vel internas inflammatur. Externae diversimode agunt; qualis

enim analogia inter tartari stybiati, acori scabiei et frigoris actionem? Internae quoque diversimode agunt. Frustra interdum cutis variis externis irritantibus tentatur, ut inflammationes producantur illis analogae, quas causa interna specialis determinavit. Comparata fuit eruptio variolosa cum illa a tartaro stybiato inducta, sed in quo et quantum differant, quilibet facile cognoscet. Phlogoses cutaneae a causa interna productae fere semper statum generalem organismi repraesentant. Febris typhoides, v. g., maculas rubras producit, febris flava ecchymoses, variola pustulas formae et naturae specialis, pestis anthracem et pustulam malignam.

Sed non solum morbi acuti, verum etiam chronici cutem inflammare valent. Syphilis, ex. gr., eruptiones varias gignit, quarum cognita est tendentia in exulcerationem: sic de herpete dicendum, quamquam nonnulli credant herpetem a statu generali organismi sejungi debere.

Phlogosis cutanea etsi a causa externa producta, tamen sub influxu est status universalis. Ulcus eumdem progressum non tenet in individuo sanae et fortis constitutionis, ac in individuo cachectico, aut vitio syphilitico vel scorbutico laborante. In individuis praeterea, quorum systema venosum omni labe immune non est, haud raro

evenit, ut puncturae hirudinum magnae fiant et extendantur, ita ut ulcuscula praebeant.

Textus serosus. Quum membranae serosae inflammentur, injectio sanguinea manifestatur; sed qualis est vera sedes hujus. injectionis? Plerumque est textus cellularis subjectus qui sanguine imbuitur, dum membrana serosa transparentiam et pallorem habitualem servat. In quibusdam autem casibus manifeste vasa sequitur oculus sanguine plena usque ad membranam serosam. Eodem tempore quo sanguis affluit in textum cellularem, serosa simul cum textu illo cousistentiam amittit, friabilis fit, et facile separatur a partibus cum quibus adhaeret. Quum exiguam partem. activam, quam in inflammatione exercet haec membrana pellucida et delicatula, observarent nonnulli, illam quasi epidermidem textus cellularis subjecti considerarunt.

Exulceratio membranae serosae rara est: in peritonitide reperitur aliquando super membranam externam intestinorum gangraena rarissima.

Characteres distinctivi in hujus membranae phlogosi sunt alterationes secretionis. A principio phlogoseos exhalatio habitualis imminuitur, hinc supprimitur: deinde rursus comparet, et plurimum copiosior quam in statu normali, tum et quando etiam in sua qualitate mutatur. Serum

est turbidum, opalinum, quod interdum pus et lympha comitatur. Puris quantitas ita excedere potest, ut totam cavitatem a serosa obvestitam impleat; sed hoc sub duabus tantum circumstantiis contingere solet, in puerpera nempe et in individuis, qui magnis chirurgicis operationibus subjecti fuerunt. In omnibus aliis casibus serum exhalatum est opalinum et lactescens floccis albuminosis repletum. Postea vero in superficie serosae inflammata adparent granulationes, quae multiplicantur, adpropinquantur, simulque uniuntur, ita ut novum exeat productum, quod sic dictas pseudo-membranas organisatas et vasculis sanguineis irroratas efformat, quae cum vicinis partibus adhaerent. Paulatim vero hae novae membranae originariam amittunt opacitatem ac soliditatem, et in textu cellulari transmutantur; morbus tum cessat, sed adhaerentiae remanent. Hae pseudo-membranae non semper dictam metamorphosim subeunt; possunt enim phlogosi corripi utpote serosae a quibus productae fuerunt, et novas membranas gignere valent, et sic porro, ita ut membrana serosa aliquoties diversis stratis harum pseudo-membranarum obtecta reperiatur. Hae membranae praeterea non solum phlogosi subjectae sunt, verum etiam aliis adfectionibus, uti melanosi, tuberculis, cancro, uno verbo, legibus universi organismi obtemperant.

Aliquando inflammatio membranae serosae penitus isolata reperitur; sic peritonitidem intensam observamus, et mucosa gastro-intestinalis omnino incolumis invenitur; pleura inflammari potest sine pulmone, pericardium sine corde, meninx sine cerebro: rari vero casus, ita ut nonnulli opinati sint non dari pleuritidem absque pneumonitide. Saepe saepius vero accidit, ut serosarum phlogosis partibus propinquis irradietur, vel saltem earum functiones turbet. Sic in meningitide delirium et convulsiones notantur, icterus in peritonitide ac vomitus etc.

Textus synodialis, qui a seroso parum differt, eosdem in sua phlogosi praebet characteres.

Textus muscularis inflammatio rara est. Quum vero hic textus phlogosi corripitur, tum colorem sumit rubrum vivacem, ejus fibrae emolliuntur, et friabiles fiunt. Characteres hi in inflammatione cordis praecipue reperiuntur. Aliquando abscessus etiam formantur in hujus organi substantia, qui in ventriculis aperiri possunt, pus intus effundendo. Sed pus hoc formatur ne inter fibras musculares, vel inter textum cellularem illas connectentem? Perdifficilis solutio hujusce quaestionis.

THESES

I.

Geognosia et geologia, anatomia et physiologia terrae.

II.

Causa mortis repentinae in corde et vasis sanguiferis praecipue inquirenda.

III.

Organon quod phlogosi jam correptum fuit, fere nunquam ad pristinum statum salutis redit.

IV.

Thalamus opticus membri thoracici, corpus striatum membri pelvici motus dirigere videtur.

V.

Maxima inest analogia inter febrim flavam et febres intermittentes.

VI.

Male agit medicus qui tantum a conditione pulsuum indicationes eruit.

VII.

Acupunctura agit electricitatem subtrahendo.

VIII.

Vesica allantoidea, quae in prima fetus formatione evolvitur, fundamentum est placentae.